



37

1773, 8
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

VI ET POTESTATE
CLAVSVLAE CODICILLARIS
TESTAMENTIS QVAE EX POST
INFIRMANTVR ADIECTAE

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

IN PERANTIQVA ELECTORALI MODO INSTAVRATA EMME-
RICIANA VNIVERSITATE ERFORDIENS

P R A E S I D E

FAVLTATIS IVRIDICAE DECANO

DN. RVDOLPH. CHRISTOPH.
HENNE, ICTO

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMI-
NIS, ORDINIS ICTORVM ET IUDICII ELECTOR. PROVINCIAL. ASSESSORE,
NEC NON CODICIS ET IVR. FEVDAL. PROFESSORE PVBL.

ORDINARIO,

DIE XIV. IVLII MDCCCLXXXIII.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

PRO GRADV DOCTORIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SUBIICIT

AVGVSTVS HENRICVS SCHROETER

DICASTERIORVM ELECTORALIVM ERFVRTENSIVM ADVOCATVS

ERFORDIAE,
LITERIS HENR. RVDOLPH. NONNII, ACAD. A TYP.



DPERGATIO INFLASAR & UNDICA

VI ET PROPTER EUM
GLOMATA SORGHETAL
TETRAGRAMMA TETRAGRAMMA
HOMOLOGIA HOMOLOGIA

HELIOS ALLEGORIAE ET LUNA ORBIS

GLOMATA TETRAGRAMMA HOMOLOGIA
HOMOLOGIA TETRAGRAMMA GLOMATA

GAEL TALIS VITRINICUS DEGLAZI
ON RADOLPHI CHRISOPH
THEMIS DIO

ALLEGORIAE ET LUNA ORBIS
GLOMATA TETRAGRAMMA HOMOLOGIA
HOMOLOGIA TETRAGRAMMA GLOMATA

GAEL TALIS VITRINICUS DEGLAZI
ON RADOLPHI CHRISOPH
THEMIS DIO

ALLEGORIAE ET LUNA ORBIS
GLOMATA TETRAGRAMMA HOMOLOGIA
HOMOLOGIA TETRAGRAMMA GLOMATA

GAEL TALIS VITRINICUS DEGLAZI
ON RADOLPHI CHRISOPH
THEMIS DIO

ALLEGORIAE ET LUNA ORBIS
GLOMATA TETRAGRAMMA HOMOLOGIA
HOMOLOGIA TETRAGRAMMA GLOMATA





§. I.



ircumspicienti mihi thema dissertationis, quod more
in Academiis recepto pro consequendis honoribus
Doctoralibus ex cathedra publice defenderem, in
mentem venit, quod nuperrime sub praesidio ill. Vi-
ri, quo & ego vtor, dissertatio de vi & potestate clausulae codicilla-
ris testamentis adiectae habita, sed thema plene exhaustum non fue-
rit. Placuit itaque postquam in illa dissertatione de vitiis testa-
mentorum insitis, & quid circa ea adiectio clausulae codicillaris
operetur, dictum est, nunc in vitiis aduentitiis & effectu clausulae
circa ea pergere, casusque eo pertinentes breuiter lustrare ac pro
virili dilucidare.

A 2

§. II.

§. II.

Sunt autem *vitia* testamentorum *aduentitia*, quae ex post facto demum superueniunt, testamentumque infirmant. Hoc modo testamentum ab initio validum infirmatur I. quia rumpitur, II. quia ut inofficium rescinditur, III. quia destituitur, IV. quia ex amissione status testatoris irritum fit. In his casibus ergo quid adiectione clausulae codicillaris operetur videbimus.

§. III.

Primus casus est, *si testamentum rumpitur*. Rumpitur autem in genere, *si testator voluntatem in testamento declaratam vel vere vel praesumte mutat*. 1) Testamentum enim quia est voluntatis *nuda* declaratio, mutatione voluntatis infirmari naturale est. *Vere* fit mutatio haec vel verbis vel factis. Factum duplex est: aut alterius testamenti confessio, aut testamenti corruptio cancellationis, incisio. *Praesumte* fit per nativitatem postumi non instituti. Exinde nunc exsurgunt quatuor casus testamenti rupti a) ob nativitatem postumi b) ob posterius testamentum c) ob reuocationem simplicem voluntatis d) ob cancellationem, lacerationem, incisionem. Quos habito respectu ad potestatem clausulae codicillaris in his casibus ordine lustrabimus.

1) conf. tit. I. Quib. mod. testam. infirm. atque ibi §. 1. describitur testamentum ruptum, *cum in eodem statu manente testatore ipsius testamenti ius, seu, ut alii legunt, vis vitiatur*, conf. de hac metathesi FORNER. L. II. Rer. quotid. c. 9.

§. IV.



§. IV.

Atque primo quidem quoad casum, *si testamentum rumpitur per nativitatem postumi* siue naturalis siue ciuilis 1), ex iure praefupponendum est, leges inter filium, seu secundum ius nouissimum 2) in genere inter liberos iam natos & postulos praeteritos distinguere. 3) Quando illi sunt praeteriti testamentum statim nullius momenti est; hi vero tunc demum, si nascuntur, testamentum infirmant & rumpunt. Ab initio ergo testamentum in quo postulus est praeteritus valet, nempe quia dubium est, an nasciturus sit. Poteſt enim vxor abortire, monſtroſum partum edere, vel ante pueriſum mori. Quia igitur ſpes eſt, aliquo caſu valituruſum testamentum, in dubio interim ſuſtinen- dum eſt fauore ultimaruſum voluntatum. Sed nato postulo vi- uo testamentum nunc incipit valorem amittere & rumpitur, eo olim effectu, vt totum tanquam nullum corrueret 4), iure vero nouiſſimo 5) iuſtitio ſaltim vitiatuſ, cetera vero, vt legata & fideicommissa, firma permanent. Nam quod in allegata Nouella de liberis tempore testamenti iam exiſtentibus & praeteritis diſponitur, id eodem modo ad postulos praeteritos pertinet, ſiquidem liberorum nomine non tantum nati ſed & nascituri & postumi comprehenduntur 6), dummodo etiam cum hiſ in ea- dem cauſa ſint, adeoque ſcienter (vti in liberis tempore testa- menti iam ſuperſlitibus accidit) praeteriti ſint. Nam ſi poſtul- muſ a patre ignoranter praeteritus ſit, recte a Dd. adſeritur, poſtulum etiam iure nouiſſimo totum rumpere testamentum ex acquitate naturali & manente ſic iure veteri. 7) Ex his

his vero intelligitur, iure nouissimo quaestionem de vi clausulae codicillaris pertinere maxime ad heredis institutionem, non vero ad legata, vtpote quae (nisi postumus ignoranter praeteritus sit, quo casu tamen nec clausula cod. contra voluntatem patris, qui progeniem suam legatis onerare voluisse non praesumitur, legatis valorem conciliare 8) poterit), ex ipsa iuris dispositione sine auxilio clausulae valent. Iam itaque ponamus clausulam codicillarem tali testamento quod rumpitur nativitate postumi adiecitam esse, an id vi eius in vim fideicommissi seruabitur? sunt Dd. qui indistincte tale testamentum valere contendunt 9). Alii vero rectius, vti mihi videtur, diuersos casus ita distinguent: Aut pater sciuit, se habiturum esse filium e. g. si tempore, quo vxor iam vterum gerebat illo sciente, testamentum condidit, aut non sciuit. In priori casu clausula vtique effectum habet, aperta sic testatoris voluntate, iuxta quam & postumum, sicut alias quemlibet intestati successorem, ad restituendam hereditatem obligare voluit. In posteriori casu vero rursus distingendum est, vtrum postumus ignoranter praeteritus *vnuo* etiamnum *testatore* natus sit, an non. *Ibi* clausulae effectus perinde tribui potest, dum si pater aliquamdiu nato iam postumo superuixit, nec testamentum mutauit, quod tamen mutare comode potuisset, perinde aperta eius est voluntas, & quod decedere voluit cum taliter facta vltimae voluntatis declaracione. 10) *Hic* vero causula vim perdit & sine effectu est, quia deficit voluntas testatoris. Nec enim pater, qui ignorauit postumum sibi nascitum de eo voluntatem declarasse dici potest. 11) Quia si de eo nascituro testator nullo modo cogitauit, impossibile est, vt cogitauerit de eo rupturo, cum non Entis nullae sint

sint qualitates. Clauses Cod. vero nunquam supplet defectum voluntatis, potius ipsa ex voluntate testatoris recipere debet interpretationem. Accedit, quod ut iam supra dictum, benigne praesumatur de patris voluntate erga liberos etiam nascituros, atque ideo non esse verisimile inquit PAVLVS ¹²⁾ patrem voluisse nasciturum sibi filium hereditate sua priuare. Praeterea in militari testamento clauses nostrae consimilis inesse dicitur: *si non valeat iure communi valeat iure militari* ¹³⁾, & tamen illa clause in tali testamento non porrigitur ad casum, quo postumus ab ignorantе patre milite practeritus est. ¹⁴⁾ In omnibus hisce visionibus vero, vbi clause vim exercit suam, is testamenti exitus est, ut postumi praeferiti hereditatem ab intestato adeant quidem, at eam mox, detracta legitima, heredi instituto restituant.

¹⁾ de postumis veris seu naturalibus, & quasi postumis seu ciuitibus, deque modis, quibus agnoscendo testamentum rumpitur vide VLPIAN. fragm. tit. 23. §. 3. & CAES Institut. L. 2. t. 3. §. 2. ibique SCHVLTING in Iurisprud. Anteiusst. p. 103. not. 32. DVAREN. in Opp. pag. m. 348.

²⁾ per Nouell. 115. c. 3.

³⁾ vide l. 1. & l. 3. §. 3. ff. de iniust. rupt. & irrit.

⁴⁾ l. 1. C. de postum. hered. instit.

⁵⁾ per Nov. 115. cap. 3. & Auth. ex causa C. de liberis prae-

terit.

⁶⁾ l. 220. ff. de verb. sign. inter liberos enim praesentes qui praeferiti testamentum nullum faciunt, & postumos qui id rumpunt, hac in parte perpetua est connexio, adeoque si liberi praesentes praeferiti ex Nouella 115. c. 3. quoad heredis institutionem sollemmodo faciunt testamentum nullum, liberi futuri quoque eo usque tantum testamentum rumpunt,

nam

nam & olim non aliam ob causam id penitus rumpabant, quam quia praesentes praeteriti illud omnino nullum faciebant, hoc igitur si muratum dicas, & illius mutatio adserenda. TITIVS Observ. Lauterb. 864. adde *Int. CLAR.* S. *testamentum* qu. 52. n. 3. CARPZOV. L. 6. Resp. 10. n. 4. seq. & n. 10. II. 12.

7) SICHARD ad 1. i. C. de postum. hered. instit. FACHINAEVS Controuers. L. 4. cap. 14. CARPZOV. Lib. 6. Resp. 11. FABCHOV. ad Tr. vol. 1. diss. 13. th. 10. lit. G.

8) vide CARPZOV. Lib. VI. Resp. 11. n. 10. FABER in Cod. L. 6. t. 9. def. 1. n. 14. & tit. 16. def. 4. sed id de ipso postumo solum valet, deque legatis, quae pro sua parte praestare deberet, quasi ab intestato rogatus vi clausulae codicillaris. Si vero alii extent filii in testamento in quo postumus ignoranter praeteritus est, instituti, qui pariter rupto testamento succedunt, hi legata iniuncta praestare tenentur. 1. 11. ff. de inoff. test. FACHIN. L. 4. Controv. c. 14. in f. HARPRECHT Consil. Tübinc. 78. n. 33. 34. Ipse postumus nonnisi in singulari speciel. 28. ff. de inoff. test. quam bene explicat FACHIN. Controv. L. 4. c. 14. iunct. Iac. CVRTIO ēmaesw Lib. III. cap. 35. legata praestat.

9) in horum numero sunt COCCET. in Jur. Controv. tit. de iusto rupt. quaest. 8. & qui citantur apud GAILL. Lib. II. Obs. 114. n. 5.

10) arg. 1. 3. C. de inoff. test. in qua lege filius postea natus neglectus a patre dicitur eam ob causam, quia testamentum, cum posset, non mutavit adde FABER. in Cod. L. 6. tit. 16. def. 4. n. 10. & def. 5. sunt tamen Dd. qui testamentum ex eo solo valorem accipere negant, quod pater id expresse non reuocauerit, sed certum & indubitatum signum nouamque voluntatis declarationem, vel aliquid quod eius instar sit, requirunt. VAN ROLL de Exhered. & praeterit. c. 29. §. 9. adde

- adde LYNCKER. Decis. 1030. BÖHMER in Consult. & Decis,
T. II, Resp. 756. vbi exempla practica inuenies.
- 11) vid. Iul. CLAR. §. testamentum quæst. 46. n. 2. GAILL. L.
2. Obs. 114. n. 8. 9. FACHIN. L. 4. Controvers. c. 12. BRVN-
NEMAN. Centur. V, Decis. 26. Anton MATTHAEI de success.
Disp. 3. th. 14. ibique STRVV. in Not. HARPRECHT Consil.
Tubing. 78. BACHOV. ad Tr. Vol. I. disp. 13. §. 10.
lit. g.
- 12) in l. 43. in f. ff. de Vulg. & pup. substit. add. l. 30. C.
de fideicom. in f.
- 13) per l. 3. ff. de testam. milit.
- 14) l. 10. C. de testam. milit.

S. V.

Porro si rumpitur testamentum ob aliud posterius testamentum, distinguendum est, vtrum clausula codicillaris adiecta sit priori testamento, quod rumpitur, aut posteriori testamento. In primo casu res redit ad quaestionem: An per secundum testamentum simpliciter factum censeatur etiam sublata clausula cod. testamento primo inserta? Et sunt sane Interpretes qui hanc quaestionem negant, adeoque clausulae codicillaris efficaciam in hoc casu agnoscunt, statuentes, primum testamentum et si ruptum per posterius nihilominus vi clausulae in vim codicillorum sustineri, ita ut legata & fideicomissa debeantur. 1) Et GIPHANIUS 2) monet, hic adesse casum, quo clausula codicillaris ex testamento faciat codilium testamentarium, cum alias plerunque ex testamento vi clausulae fiat codillus ab intestato. Sed potior nobis videtur contraria sententia, quam &

B

com-



communis Dd. schola sequitur, secundum quam per posterius testamentum censentur reuocata omnia, adeoque nec legata in eo facta debeantur. Est enim rationis, ut annullato principali instrumento, intelligentur etiam sublatae omnes clausulae in eo appositae, adeoque & codicillaris clausula testamento priori inserta. Et dissentientes ipsi hanc limitationem suae sententiae subiiciunt: nisi mutatio voluntatis probari possit. Haec mutatione vero hic est aperta, cum testator mutet prius testamentum, alio confecto. Insuper clausula codicilli priori testamento solum adiecta est instar cautelae, vt, si id praeter eius voluntatem valere non possit vt testamentum, valere tamen debeat ut Codicillus. At cum hic testator ipse mutet testamentum illudque nouo confecto valere amplius nolit, qui potest clausula ulterius contra voluntatem testantis aliquid operari? Profecto obtrudetur sic testatori sententia, quam non habuit, & si is legata in priori testamento conseruata velit, ipse eadem in posteriori repetitur erit. 3) Evidem pro dissentientium sententia desumi posset argumentum ex §. 1. I. de Codicill. vbi habetur: codicilos non tolli per testamentum posterius, nisi hoc expresse dicatum sit, adeoque sicut per testamentum subsequens non tolluntur codicilli anteriores, ita nec clausula codicillaris in primo testamento posita per posterius testamentum sublata videri posset. Verum hic textus loquitur de Codicillis separatim confectis, minime vero de codicillis in ipso testamento subsidiarie seu eventualiter, vti fit per clausulam codicillarem, factis. Haec enim diuersa sunt & ab uno ad alterum non valet consequentia. Nam alias etiam sequeretur, testamentum, cui clausula adiecta est, numquam

quam vi eius in vim codicillorum valere posse, quia de Codicillis ad testamentum pertinentibus constitutum legimus: corruente testamento corruere etiam debere codicillos. Cum tamen manifesti iuris sit, testamentum quod ut tale valere nequit, vi clausulae incipere valere ut codicillum. Maneamus ergo in sententia per secundum testamentum reuocari omnia quae in primo testamento continentur. Vnicam exceptionem Leges 4) faciunt: nisi in secundo testamento prius sit confirmatum. Tunc enim, cum nemo duobus testamentis decidere possit, primum testamentum ut Codicillus sustinebitur ob testatoris voluntatem, ita ut heres posterioris testamenti hereditatem tanquam fideicommissum restituere debeat heredi prioris testamenti. 5) Sed facile intellectu est, nihil hic operari clausulam codicillarem, siquidem hoc ita obtineret, et si clausula priori testamento inserita haud esset.

1) in ea sententia sunt GIPHAN ad l. vlt. C. de iure Codicilli. pag. m. 136. BERGER in Oeon. iur. L. II. tit. 4. §. 22. n. 9. HARN. diss. de Codicillis Ulrai. 1763.

2) cit. l.

3) ita sentiunt nobiscum STRYK in Cautel. testam. cap. 24. §. 62. CHIFFLETIVS de iur. fideicommiss. Lib. 3. c. 4. PEREGRIN. de fideicommiss. Art. 2. n. 18. Anton MATTHAEI de success. Disp. 3. th. 15.

4) in §. 3. I. testam. quemadmodum infirm. l. 12. §. 1. ff. de iusto rupt.

5) vid. RICHTER p. I. Decis. 49. n. vlt. BARDILI diss. de Reuocat. vlt. volunt. §. 48. & 75.

§. VI.

Quodsi vero clausula codicillaris *testamento posteriori* adiecta est, id testamentum aut vtile & rite conditum est aut non. Si vtile est, clausula vim exercere nequit, cum in euentum solum adiecta sit, quando testamentum ut tale subsistere nequit. Sin inutile sit, habeat tamen requisita Codicilli, tunc clausula efficit, ut relictā in eo valeant ut fideicomissa non ab intestato, vti alias fit, sed ex testamento, mutatque adeo clausula hoc in casu testamentum inutile in codicillum testamentarium, ita ut eius vi scripti in primo testamento (vtpote quod per posterius inutile ruptum non est) heredes teneantur hereditatem restituere heredibus scriptis in secundo hoc testamento. 1) Si haec clausula abesset, ex tali testamento inutile nihil deberetur. 2)

1) vid. STRVV. Exerc. 34. thes. 64.

2) l. 16. ff. de iniust. rupto. l. 18. de Legat. III. l. 1. ff. de iure Codicilli,

§. VII.

Denique si testamentum rumpitur *per nudam & simplicem voluntariae declarationem*, praemonendum est, tali declaratione testamentum prius non rumpi, nisi vel solenniter coram VII. testibus, facta sit, vel coram III. testibus accidente lapsu decennii 1). Quocirca in casu quo testamentum prius hoc

hoc modo non rumpitur, de vi clausulae etiam quaeſtio oriri nequit, quae quippe in euentum, quo testamentum, vt tale, & propriis virib⁹ ſubſttere nequit, ſolummodo adiicitur. Vicifim in caſu, quo eiusmodi declaratio testamentum infirmat, e. g. ſi coram VII. teſtibus facta eſt, clausulae effectus perinde adſcribi nequit. Nam integro teſtamento ſic reuocato, clauſula quoque codicillaris reuocata eſt, & teſtator qui teſtamento antea conditum porro valere non debere in genere declarat, illud nec vt codicillum valere vult, adeoque clausulae, quae id efficere debebat, derogat.

I) l. 27. C. de teſtamento. HUVER in praelect. ad Instit. tit. quib⁹ mod. teſtam. infirm. n. 8 - 11. & omnino FINCKELTHAVS. Observ. 93.

§. VIII.

Tandem ſi teſtamento rumpitur *per cancellationem, incisio-nem, lacerationem* totius teſtamenti, per ſe intelligitur, clauſulam nullam habere potestate posſe. Vbi enim teſtator hiſ modis totum ſuum teſtamento infirmat, nec cenſeri potest velle, vt clauſula codicillaris cautelae gratia olim eidem appoſita, aliiquid amplius operari debeat. Ipoſa potius cum teſtamento, cui inſeruiebat, annullata cenſeri debet, & ex defectu voluntatis ulterius operari nequit.

§. IX.

Haec de teſtamento rupto. Sequitur nunc alter caſus,

B 3

(§. II.)

(§. II.) si testamentum ut inofficium rescinditur. Hic praemonendum est visum querelae inofficiosi iure nonissimo 1) minorem esse, quam fuit olim, cum in multis casibus, in quibus iure pandectarum & codicis querelae locus erat, nunc querela nullitatis potius obtineat, quia testamentum contra formam in Nouella CXV. cap. 3. praecriptam conditum reperitur. Hinc in uniuersum duobus tantum in casibus adhuc querelae inofficiosi locus est, I.) si causa ingratitudinis in testamento expressa falsa est, nec probari ab herede scripto potest, II.) si frater fratrem praeteriit, turpi praetata persona 2.) De his casibus ergo & quid in iis clausula testamento inserta valeat, dispiciendum nobis hic est. Quoad primum casum, siquidem ex communiter recepta sententia testamentum etiam ut inofficium rescissum solummodo quoad heredis institutionem saluis legatis corruit ob dispositionem generalem Nouellae CXV. cap. 3. & 4. ita ut quæla inofficiosi & nullitatis hoc effectu non differant 3), adparet quæstionem de vi clausulae codicillaris & hic duntaxat ad heredis institutionem pertinere, cum legata etiam sine eius auxilio in saluo maneant. Id ergo hoc in casu operabitur clausula tali testamento adiecta, ut illud vim Codicillorum nanciscatur, & inofficiosa institutio sustineatur iure fideicommissi, proindeque rogati videantur illi, qui quæla causam testati redegerunt ad causam intestati, ut hereditatem deducta legitima restituant heredi scripto extraneo. Nam fideicomissa relinquunt etiam codicillis ad heredem ab intestato directis, & liberi etiam, extra Legitimam, grauari fideicommisso possunt 4), nihil ergo impedit, quo minus ob adiectam clausulam cod. res ita accipi possit, quia

si

Si pater liberos ab intestato heredes liquisset, eosque rogasset, detracta Legitima ceteram hereditatem heredi scripto restituere. 5) Quoad alterum casum, nempe querelam inofficioli fratrum, quæstio de yi clausulae codicilli. & ad heredis institutionem & ad legata referri quidem potest, cum Nouella CXV. c. 3. iuxta quam sola heredis institutio saluis legatis corrumpere debet, ad fratres fratribusque querelam non pertineat, sed de solis parentibus & liberis loquatur. Sed neque heredis institutio eo effectu, ut turpis persona hereditatem tanquam fideicommissum petere possit, neque legata ceteraque capitula per adiectionem clausulae codicillaris conseruari possunt, ex hac ipsa ratione, quod Nouella CXV. c. 3. & 4. de parentibus & liberis solummodo loquuntur, adeoque intuitu fratrum vetus ius illibatum manserit, quo querela sub colore furoris instituebatur, & testamentum quasi a demente conditum totum rescindebatur. 6) Iam licet clausulam ex testamento codicillo ab intestato facere adsumas, hi tamen non magis valere possunt, quia a demente conditi censentur. Sicuti PAVLVS 7) diserte tradit: tali casu, expugnato per querelam testamento nec fideicomissa ab intestato data deberi quasi a demente.

1) per Nouell. 115. cap. 3. & 4.

2) conf. STRYCK VI. Mod. ff. tit. de inoff. test. §. 2. seq. dissentient multi, & Nouellam 115. c 3. aliter interpretantur, inter quos est etiam HEINECC. in Elem. iur. sec. ord. Institut. §. 582, & 583, qui ideo multo plures casus querelæ statuit, adde

REINOLD



REINOLD diff. de causis, in quibus etiam nunc querela inoff. sit necessaria in *Opuscul.* pag. 338-357. Sed nostra sententia in Germaniae foris recepta est, quam sequuntur & latius explicant TITIVS in obs. Laut. 164. THOMAS, ad Huber. Praelect. I, de liber. Exhered. n. 2.

3) vid. STRYCK in vi, Mod. ff. tit. de inoff. testam. §. 6.

4) §. 10. I, de fideicommissar. hered. l. 32. C. de inoff. test. l. 13. §. 1. 2. & 22. C. de iur. Codicill.

5) conf. l. 3. pr. ff. de iur. Codic. STRYCK in Annotat. ad Lau- terb. tit. de iur. Codic. vbi ait: haec clausula quoque, si filius inique exheredatus sit, effectum habet. Idem enim est ac si dixisset testator: Rogo filium meum exhereditatum, ut portio- nem sibi debitam capiat, & reliqua restituat heredi scripto.

6) l. 8. §. 16. ff. de inoff. test. l. 36. ff. de Legat. III.

7) in l. 13. ff. de inoff. test. adde CARPOV. Decis. 155. n. 15. CHIFFLET, de iur. fideicommiss. cap. 12. Lib. III.

§. X.

Sed quoniam iure fideicommissi inofficiosam institutionem sustineri §. *anteced.* diximus, quaestio enascitur: Annon liberi duas Quartas, nempe praeter Legitimam Trebellianicam etiam deducere possint? Pertinet haec quaestio perinde ad casum praetitionis & iniustae Exhereditationis liberorum, item ad casum praetitionis postumorum. Pendet vero haec quaestio a generali illa questione: An liberi fideicommisso grauati duas Quartas de- duce-

ducere possint? in qua quaestione decidenda Dd. admodum variant. De iure Ciuli pauci defendant deductionem duarum Quartarum licitam fuisse & cognitam 1), plerique potius negant, iure Ciuli duas quartas deducere licere 2), quia in Trebellianicam omnia imputantur, quae heres quoconque titulo ex iudicio defuncti habet. Dum igitur Legitimam deducit filius, simul etiam Trebellianicam habet. Secundum ius Canonicum 3) vero affirment omnes, cum hac tamen differentia, ut plerique distinguant, utrum filius pure an sub conditione vel in diem fideicommissio grauatus sit, & in priori casu nonnisi legitimam deduci posse, in altero vero & Legitimam & Trebellianicam deduci posse adserunt 4). Et hocius Canonicum, secundum quod duae detractio-nes fiunt, vsu obtinuit prae iure Ciuli, ita ut iam CASTRENSIS id practicari in toto mundo, sicut Euangeliū, scripserit. Nec minus distinctio allegata in praxi fere ubique attenditur, licet non desint, qui simpliciter & semper duas quartas deducere filio licere affirment 5). Quid mirum ergo, si & in nostra quaestione speciali Doctorum diuersae sententiae extent? plerique vero, quia hic restitutio vi clausulae codicillaris statim fieri debet, adeoque eiusmodi testamentum clausula codicillari munitum instar *fideicommissi puri* valet, legitimam duntaxat deducere permittunt, 6) licet non desint praecidicia, ex quibus, vtramque Quartam deducendi potestatem factam esse liberis, adparet 7). Et certe si non praecidiciis sed legibus & argumentis legum stare conuenit, melior sine dubio est horum postremorum sententia, quia duplex ratio, quae vulgo pro sententia altera adfertur, quasi nempe duas deductiones uno eodemque tempore fieri incivile sit, & quasi

C

textus

textus iuris Canonici hanc duplēm detractionem contra ius Ci-
vile stabilentes de fideicommisso, conditionato agerent, adeoque tan-
quam iūra correctoria vltra hos terminos ad purum fideicommis-
sum extendi non debeant, nullius momenti est. Nam quantum
ad primam rationem, cur non lucrum ex diuersis causis proue-
niens, quotuplex etiam sit, simul & eodem tempore peti posset?
Vtramque quartam vero *ex diuersa causa* liberis deberi, ipsi tex-
tus iuris Canonici loquuntur, dum legitimam liberis qua talibus,
& vt portionem iure Naturae debitam, Trebellianicam vero, qua
extraneis, & eo iure, quo quilibet extraneus fideicommisso gra-
uatus gaudet, detrahere permittunt. Quod vero ad alteram ra-
tionem attinet, licet Pontifex in citatis capitulois speciem de fidei-
commisso conditionato & in diem dilato tractet, non tamen ad
eam dispositio & decisio alligata est, nec eius rationes ex hac
indole fideicommissi petitae sunt, potius generalis ratio & puro
& conditionato fideicommisso conueniens subiecta est. Ut ita-
que praxis contra veram iuris Canonici sententiam inolta merito
deserenda sit, & iam nouioribus temporibus deserta sit, vti ex
praeiudiciis, quae citant Dd. in nota 7) allegati, liquido ad-
paret.

1) *vii HEINECC.* in Not. ad *Vinn.* tit. de fideicommissar. hered.

§. 7. n. 3. & ante eum iam ita opinatus est FACHINAEVS Lib. V.

Controvers. cap. 2, quem tamen refutauit BACHOV. ad Tr. Vol.

II. Disp. 14. th. 2. lit. A. & plenius VINNIVS select. quaest.

L. II. cap. 29.

2) vide HARPFRECHT de iure deducendi duas quartas, BACHOV.

ad

ad *Tr.* cit. l. *HOTTOMAN*, illustr. *Quaest.* 43. qui & maximo
conatu stultum, ut ait, errorem Canonistarum receptum de
duabus Quartis impugnat. Sed cum de sensu LL. ciuilium
inter Dd. non satis conueniat, decisio vero iuris Canonici cla-
ra sit, Praxis eo minus damnari potest.

- 3) in cap. *Raynaldus* 16. X. de testam. & cap. *Raynaldus* 18. X.
eod.
- 4) vide *GAILE*. L. II. Obs. 121. ibique *GRAEVEVM*. *WERNHER*.
p. 2. Obs. 458. *BERGER*, in *Oecon*, iur. Lib. 2. tit. 4. §. 34. not. 2.
vbi etiam post *HOTTOANN*. & *VINN*, cit. loc. *modum compu-*
tandi duas quartas tradit.
- 5) vti *LEYSER* spec. 405. med. I. *PVFFENDORFF* T. II. Observ. 82.
BOEHMER in *Not.* ad cap. 16. & 18. X. de testam. *ESBACH* ad
CARPZOV. p. 3. c. 1. def. 20. *VINN*. Lib. 2. *Quaest.* c. 29.
in f.
- 6) vide *BOEHMER* T. I. p. 2. Decif. 43. n. 32. *ENGELBRECHT*
Resp. 78. n. 29. 30. 31. *HARPFRECHT* de iure deducendi duas
quartas. §. 71. n. XI.
- 7) quae videlicet ap. *SANDE* Lib. 4. tit. 7. def. 4. *PVFFENDORFF*
T. I. Obs. 192. *WERNHER* T. III. p. I. Obs. 83. *LEYSER* spe-
cim. 405. med. I.

§. XI.

Succedit tertius casus (§. II.) si destituitur testamentum id est,

C 2

ii

si heres institutus non adit hereditatem sive nolit heres esse, sive non possit, vt puta praemortuus ante testatorem, quo eueniente regulariter omnis vis testamenti soluitur, vt tradit VPIANVS, 1) adeoque nihil valet ex his, quae testamento scripta sunt, legata intercidunt, & res redigitur ad causam intestati. 2) Sed si clausula codicillaris adiecta est, legata eatenus sustinentur, vt a venientibus ab intestato peti possint 3). Neminem fere hac in parte repperi dissentientem praeter Christ. Wilh. KÜSTNERVM, qui diff. de legatis ex testamento, cui clausula cod. ineft. destituto non praeflandis Lipl. 1746. contrarium defendere voluit. Sed omnis eius argumentatio redit ad precario adsumptum principium, quasi clausula codicillaris testamentum conuertat in codicillum testamentarium, qui proin ius testamenti sequatur, & sine testamento vim habeat nullam. Sed ut hoc & contra omnium Dd. sententiam, qui clausulam codicill. ex testamento facere codicillum ab intestato vno ore perhibent, & contra ipsum conceptum codicilli testamentarii, vtpote qui ad heredem testamentarium directus esse debet, cum tamen per clausulam codicillarem heredes ab intestato potius rogati censeantur, vt ipsi heredi scripto in tali testamento hereditatem restituant, impingit: ita etiam a Codicillis separatum confectis ad Codicillos in testamento eventualiter confectos, ut iam §. V. monitum est, non semper argumentatio procedit. Nihil igitur allatum est, ob quod communem sententiam deserere necesse sit. Non solum vero legata sic per clausulam nostram conseruantur, sed & praeterea Doctores adserunt, in casu quo ab instituto herede, qui iam non adit, fideicommissum vniuersale relictum est, eam clausulam facere, vt fideicommissarius nihilominus ab heredibus ab inte-

intestato fideicommissum petere possit, e. g. testator dixit in testamento: *Titius heres esto, & rogo eum, ut hereditatem restituat Sempronio*, deinde clausulam codicilli subiecit. Iam licet Titius hereditatem non audeat, tamen Sempronium hereditatem vi clausulae ab heredibus ab intestato petere posse adserunt. 4) Sed si quid video, hic casus noluntatis i. e. si heres adire nolit, a casu impotentiae, i. e. si heres adire non possit, ab iniucem separandus est. Contra noluntatis casum Leges ipsae fideicommissario prospexerunt satis. Nempe ex SCto Pegasiano, quod dein in Trebellianum transfusum est, heredi scripto, quando recusat adire, necessitas imponitur totam hereditatem volenti fideicommissario restituere, & omnes ad eum & contra eum transferre actiones 5). Sic vero fideicommissario ad clausulam codicillarem configere opus non est, imo sibi praejudicaret, si hoc ficeret, siquidem tunc ei negotium foret cum heredibus ab intestato, qui Trebellianicam deducerent, cum e contra fiduciarius, qui coactus hereditatem restituere tenetur, quartam Trebellianicam deducere non possit. In casu impotentiae vero aliud dicendum est, quo utique fideicommissarius auxilio clausulae codicillaris indiget, & ab heredibus ab intestato fideicommissum, quod absque ea intercideret, petere potest.

1) in l. 181, ff. de Reg. iur.

2) l. 17, ff. si quis omissa cauf. testam. §. 2. I. de Lege Falcid.
§. 2. I. Quib. mod. testam. infirm.

3) l. 29. C. de fideicommiss. nihil enim interest quoad legata, an

quis codicillos ab intestato fecerit, an testamento inutili clausulam codicillarem adposuerit. A SANDE Decis. Lib. 4. tit. 4. def. 10.
 Anton. MATTHAEI de success. c. 3. th. 12. BERGER Oec. iur. L.
 2. t. 4. §. 21. in Not.

4) vide CARPOV. Decis. 155. n. I. LYDOVICI Doctr. §. tit. de iure
 Codic. §. 7. GAIL. L. 2. Obs. 134. n. 3.
 5) §. 6. & 7. I. de fideicomm. heredit.

§. XII.

Supereft quartus & vltimus casus (§. II.) si testamentum in irritum conſtituitur, i. e. si testatori ipſi aliquid contingit, vt ait VLPIANVS 1) nempe per capitis deminutionem ſive maximam & mediam, per quam ſemper irritatur testamentum, ſive minimam, quae etiam testamento obeft, niſi id a milite factum, aut a pagano de bonis vere aut quaſi caſtrenſibus, vtpote de quibus etiam ſi liſfamilias testandi ius habent. Iam cum in tali caſu amittat vaſoris testamenti haec ratio ſit, quod per Capitis deminutionem facultas & ius testandi amittatur, ſiquidem testamentum non eſt, viſi hominis liberi, ciuiſ Romani, & patrifamilias: per ſe patet, clauſulam codicillarem hic nihil operari poſſe, quia defectum in perſona testatoris ſupplere nequit.

1) in I. 6. §. 5. ff. de iniuſto rupt. & irrit.

Exemplum testamenti in irritum conſtituti hodieque occurrit in caſu vbi quis ſe arrogari finit quo facto per adoptionem
 vti

23

vti iure Romano §. 6. I. Quib. mod. testam. infirm. testamentum irritum sit, quia qui alieni iuris est, testamentum habere nequit. An vero omnia reliqua exempla capitis deminutionis vsum apud nos habeant, & testamenta in iis in irritum deuocentur, alia a nobis iam non excutienda quaestio est.

§. XIII,

Absoluta sic tractatione de vi & potestate clausulae codicilariis in casibus §. II. propositis, nihil nunc supereft, quam ut Beneolum Lectorem decenter rogitem, velit ea, quae a me in medium allata sunt, aequi bonique consulere, eaque, in quibus ferre erravi, in meliorem partem benigne interpretari.

TANTVM.



... der in den Jahren 1541 & 1542 entstellt und neu
... und erneuert ist. Ein großer Saal im ersten Stock
... und ein kleinerer im zweiten Stock sind mit
... einer großen Tafel aus weißem Marmor ausgestattet.
... ein großer Saal im zweiten Stock ist ebenfalls
... mit einer großen Tafel aus weißem Marmor ausgestattet.

XXVII

... und ein großer Saal im zweiten Stock ist ebenfalls
... mit einer großen Tafel aus weißem Marmor ausgestattet.
... ein großer Saal im zweiten Stock ist ebenfalls
... mit einer großen Tafel aus weißem Marmor ausgestattet.

MUTIAT



Erfurt, Diss., 1770-73

ULB Halle
004 176 472

3



f

Sb.

W18



37

1773, 8
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE

VI ET POTESTATE
CLAVSVLAE CODICILLARIS
TESTAMENTIS QVAE EX POST
INFIRMANTVR ADIECTAE

P. 290
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

IN PERANTIQA ELEC
RICIANA VN
P F
FAVLTAT

DN. RVDO
HI

EMINENTISSIMI PRINCIPIS
NIS, ORDINIS ICTORVM E
NEC NON CODIC

DIE X
IN AUDITORIO
PRO G
PLACIDO E
AVGVSTVS
DICASTERIORVM E

LITERIS HEN

